

BIBLIOTEKA KÓRNICKA

124732

M

Sublet 71. 62¹

Constantini Chótyniecki
D i s s e r t a t i o
d e
P o d a g r a.

D i s s e r t a t i o

medica inauguralis

d e

P o d a g r a ,

q u a m a n n u e n t i b u s

Illustrissimo ac Magnifico Domino Prae-
side, et Directore nec non Clarissimis
D. D. Professoribus,

pro Doctoris Medici laurea rite adipiscenda
in Antiquissima ac Celeberrima Universitate
Vindobonensi

publicae disquisitioni submittit

Constantinus Chótynieccki,

Ex Rubra Russia Sieniaviensis.

In adnexas Theses disputabitur in Universitatis
Palatio die Mensis Augusti Anno 1813.

Vindobonae Typis Antonii de Haykul.
M. DCCC. XIII.



in aduersa librorum dispoſitione in Uniuerſitate
Tabula de Mensis Augusti Anno 1813.
227421

Josephus Antonii de Haxlul.
MDCCLXIII.

Excellentissimo ac Illustrissimo

Domino Comiti

Venceslao de Rzewuski,

plurium literariarum Societatum Membro,

M a e c e n a t i,

suo prae ceteris Patrono,

p r o

Collatis in se beneficiis singularique ejus Munificentia, in gratissimi sui animi tesseram hoc inaugurale Specimen, dicat, vovet seque totum commendat.

A u c t o r.

I s a g o g e.

Sancitum est, altissimaque firmatum lege, ut Doctoris Medicinae initiari optantes orgiis, eruditionem palam faciant suam scripto non minus, quam concertatione literaria, Senatus Incluti populique Medici in conspectu. Legis tantae tamque salutaris vi ego quoque, Almae Facultatis Medicae consensu aegrorum ad curam accedere cum liceat, inauguralem de **P o d a g r a** Dissertationem publico Eruditorum judicio discutendam demisse substerno.

Ultro vero fateor ac lubens, neutiquam mearum fuisse virium, ea hancce elaborandi materiem contentione, quo vel aliqualis eluceat perfectio. Ratio est in propatulo: Morbus quippe priscae plane aetati quidem notus, obvius, nostrisque haud infrequens est temporibus; multa peraeque super eo suppetunt illustrium Authorum notata: ast quam irriti exstiterint eorum, veram tanti mali indolem in lucem ponendi conatus, saevities ejus nullo hucdum artis domanda remedio testis est.

Quae porro podagram invictam reddunt, Artisque eludunt arma, sunt indoles cum primis ejus haereditaria, adulta saevae dominae tyrannidem experiri solita aetas, principiis, quae, dum obstare tergiversatur, senio conficitur, lethi ex faucibus evadere non jam amplius apta; strictiore insuper quam ut mali ob diuturnum imperium ab aegris rite observari queat, diaeta; sexcenta denique alia nec versatissimo in Arte cognita, arginem quae struunt, quo-

minus Hydrae hujus proterantur capita.
Experientia namque fallax, ju-
dicium difficile!

Haec ego serio perpendens animo, fal-
sis ludicrisque ingenii figmentis missis ea
duntaxat, quae selectis veridicorum, eo-
rumque cumprimis, qui ipsimet mali tan-
ti vexas sustinuere, voluminibus compre-
henduntur, colligere, sequentique naturali
componere ordine statui: Explanata in
fronte idea mali, mox symptomata de-
pingo essentiam perinde ejus ac formam
absolventia. Tertio loco adduco varias
podagrae divisiones: procedo hinc ad no-
sogeniam, ac ubi exitus prognosticosque
quosdam canones descripsi, therapia clau-
do opellam.

Quantum hisce praestiterim, Artis pe-
riti judicent velim, et quemadmodum ad-
plausum humili repentique isthoc labore
comparare mihi nec studeo nec opto, ita

Lectores obsecro, ut aequi pauca consu-
lant, elucubrationemque praesentem signi
instar majoris meae futurae industriae per-
pendant.

Notio Podagrae.

Podagra aliis podalgia vivocum πῆξ ποδός, et ἄγρα ἄλγος est pedis captura vel dolor 1). Perperam igitur illa arthritidis, rectissime arthralgiae statuitur species. Arthritis namque articulationum designat inflammationem: Arthralgia spontaneum (sine evidenti initio ortum), vagumque earum dolorem, qui nonnisi cum furere pergit, febrem suscitatur irritativam 2). Sed spreta arthritidem inter et arthralgiam distinctio erroneorum quoque podagrae conceptuum existit parens; suppetunt quidem et recti, verum examissim nequaquam completi, quibus omnibus posthabitis, hac circiter expositione uti lubet:

Podagra est morbus chronicus totius substantiae, haereditarius et acquisitus, adultos cum primis et senescentes, otio potissimum, gulae, insanis aliis voluptatibus, studiisque deditos, mulieres raro, infantes nunquam infestare amans, consistens in dolore tensivo pollicis pedis juncturas ut plurimum discruciante, ho-

1) Lucian. Tragopod. T. III. p. 656.

2) Val. nob. ab Hildenbrand, Praelectiones in Therap. special.

risque antelucanis mitescente, subnascente dein ibidem tumore rubello calido, topis inveterascente malo, generandis atque symptomatibus specificae viarum alimentarium affectionis, insultibus stas periodos haud observantibus, vere tamen plerumque et autumno recrudescentibus miseros plectens 1).

Uberior Podagrae descriptio ejusque decursus.

a. P r o d r o m i.

Ubi jam podagra castra metata est, antequam infesta sua moveat arma, haec observantur signa: cephalaea, vertigo, flavedo albugineae, frequens cum pandiculatione oscitatio, somnus minime reficiens, peculiaris ventriculi languor, aepesia, anorexia, sapor oris limosus, ructus acidj, sitis aucta, pyrosis, ponderis in regione scrobiculi cordis sensus, emphysematosus corporis totius tumor; paucis ante mali ferociam diebus torpor, et ceu flatuum descensus per femorum carnes, anxietas praecordialis, leves convulsiones, mens iniquieta, metu imminentis mali detenta, pulsus irregulares, parvi contracti 2). Die insultum praecedente cynorexia 3), urinae pallidae, es quidquam turbidae, oculi lachrymis ubere defluentibus

1) Th. Sydenh. op. med. T. I. p. 302. Ed Genu.
Fr. Bois. de Sauvages Nosol. Method. T. II. p. 19.

K. Sprengel Handb. der Patholog. 3. B. S. 233.

2) K. Sprengel Handb. der Pathol. S. 207 — 209.

3) Th. Sydenh. Op. cit. p. 303.

bus madent 1), facies artusque urente suffunduntur calore, mens redditur serena, pulsus quidquam frequentiores sed necdum pleni 2), porro sudor consuetus evanescit, et excrementum pedis intra digitos nascens mutatur 3). Motu demum sanguinis arteriosi pedum ob siccitatem vix perspirantium imminuto, retardatur confestim motus sanguinis venosi, varicesque in pedibus exsurgunt 4).

b. Imago podagrae saevientis.

Hisce obsessus quisquis podagrae in tyrannidem cedet, somno se se committit, atque secunda mediam post noctem hora dolore excitatur ut plurimum pedis pollicem, subin calcaneum quoque, suram aut talum affligente simili ei, ossium qui comitatur dislocationem, junctusque sensui frigidae membranis adfectae partis adfusae; sequitur mox rigor alternans cum horrore, quibus pedetentim recedentibus dolor singulis horis intenditur, fastigiumque eluctatus, ad tarsi metatarsique ossa serpit, ibique tensionem nunc violentam, morsum nunc canis rodentis, aut pressionem arctationemve producit. Partis vero adfectae usque adeo exquisitus est sensus, nec ut linteorum, quaeis tecta illa foventur, pondus fer-

1) La Coste Traité pratique sur la Goutt p. 58.

2) K. Sprengel ang. Werk S. 210.

3) Fried. Hoffmann Med. Rat. Syst. T. IV. Part. II. Sect. II. p. 515.

4) Van Swiet. comment. in Herm. Boerh. Aph. T. IV. Edit. Lugd. p. 303.

re valeat aeger, inquietudo autem tanta, ut milena adhibere miser cogatur conamina membri torti mutandi situm, sed frustranea 1). His jungitur anorexia, calor urens, cutis sicca, urina tincta, parca sedimentum deponens rubrum, alvus obstipata, photophobia, phthongodysphoria, molesta partium quoque non adfectarum sensatio, pulsus eo sanorum frequentior, plenus, fortis, durus 2). Aurora vero comparente subito leni irroratur madore cutis, lingua humescit, alvus aperitur, pulsus redditur mollior, aeger obdormit, et evigilans partem adfectam a dolore quidem liberam sed tumore obsessam cernit. Scena haec tristis recte audit *Insultus podagrae*. Die sequente alias biduo triduoque mali ab ingressu pleurumque vesperi rursus furit dolor, sed sedatur sub galli cantu. Paucis post diebus dolor alterum pedem exercet, sed benignius, moxque placatus articulationem pollicis in pede nuper tentato ferocius lancinat. Lamentabile vero, quo insultibus miseros torquet podagra suis, tempus variat, pro varia aegrotantis perinde ac aegritudinis aetate: quocirca vegetiores, atque ii, quos raro invisit morbus, decimaquarta ab ingressione prima coepta die requie fruuntur; senes eosque, qui crebras ejus experti sunt vexas, ante bimestre affligere haud desinit Tyrannus; iis demum, qui vel aetate, vel diuturniore mali mora fracti sunt, aestate adulta valedicit. Morbo ad tempus

1) Sydenh. Op. et loco cit.

2) K. Sprengel ang. Werk S. 211.

placato redit tum *εὐεξία* tum appetitus, in pedis pollice aut alia ejus parte adfecta maxime inter digitos exoritur vix ferendus pruritus, unde furfures decidunt 1). Si podagra flagris haud crebro, neque longo tempore suas tentavit vires, tum non solum longioribus aeger fruitur interval- lis, sed aliarum quoque molestiarum expers vi- vit: ubi vero ea per longas invaluit moras, acri- ter saepe vastando, tum ille intercapedine a luc- ta mali libera aerumnas deflet: artus namque ita habet contractos, ut gressu claudicante et moles- to prorepat dumque ambulat, quiescere videatur, et si ultra vires gradi tentarit, quanto magis pe- des hoc pacto confirmat, tanto periculosiores vis- ceribus dolor portendit minas. Vexat porro cum anorexia, dyspepsia, ructus nidorosi ciborum manducatorum odorem spargentes, languor uni- versalis, urina colore et quantitate mentitur il- lam, quae in diabete excernitur; regio dorsalis infestatur tempore somni pruritu; somno se se comittens miser, ictum subinde persentiscit qua- si clavae metatarsum confringentis, musculorum, qui tibias suffulciunt, tendines spasmō identidem immani corripiuntur, quaevis matutina oscitatio convulsiones in metatarso consciscit; exaggeran- tur calamitates hae haemorrhoidibus, et praeci- pue calculo, qui saevitiae sua quandoque podal- giae cruciatibus par est, imo lotii subinde per uretheres in vesicam obstans transitui, aegrum de medio tollit.

1) Th. Sydenh. Op. et loco cit.

Motu partium paulatim languescente ferreae molleculae circa articulorum deponuntur ligamenta, invicem concrecentes cutem destruunt, atque nodos et tophos exhibent conspectui. De horum indole variae sunt Medicorum opiniones: Sydenhamus 1) incunabula eorum in humoribus quaerit, dissipatis minirum subtilioribus particulis, rudem crassamque remanere substantiam atque tum inertiae favore, tum caloris vi, tum doloris vehementia in terrestrem mutari massam credit. Swietenius 2) vero ex ossium substantia genesis eorum explicat, dum docet, repetitis podagrae insultibus terream partem ossium separari, separatamque per solitas, quibus inutilia excernuntur, eliminari vias, vasa autem sic laedi, ut materia, qua resarciatur perditum haudquaquam ad debita sed ad vicina deferatur loca, tophos, faventibus morbi adjunctis generatura; saepenumero similis materia renes ingreditur aut hepar, interdum cum sputis exterminatur, sudoribus vel urina, super quibus legis Clarissimum Baglivium 3). Missis aliis Fridericus Hoffmannus 4), tophaceos hosce tumores tartareae indolis esse defendit, podagratici quippe, ait ille, calculo simul affliguntur, materia ex istiusmodi nodis eruta, naturam manifestat salis tartarei, meracus demum tartáro scatentium vinorum usus

1) Op. cit. p. 304—305.

2) Oper cit.

3) Praxis Med. L. I. p. 117.

4) Med. Rat. Syst. T. IV. Sect. II. c. 2. p. 506.

haud infrequenter podagrae exstitit parens. Ceterum in tanta circa abstrusam rem opinionum varietate, litem ingenii optime subactis decidendam relinquo. — Sed corpore tantis cruciatibus infirmato, animus quoque enervatur adeo, ul vel levissimo adfectuum motu titubet, quo pacto aeger non magis sibimet ipsi, quam aliis gravis evadit. Hoc in rerum statu et timor et sollicitudo, et ira et idgenus alia supra quam dici potest, exaltantur. Tandem visceribus ita laesis, ne ut secretionis organa suo amplius debite fungantur munere, tandem inquam. ὁ τρισάσλιος vitam afflictissimam cum morte aerumnarum requie mutat. Haec horribilis mali imago!

D i v i s i o n e s.

Si subtilitatibus inhaerendi animus foret, innumerae sane adumbrandae suppetere divisiones; verum practicum respicienti usum sequentes adducere placet.

1. Originis respectu dispescitur podagra in haereditariam et acquisitam, quae notiones clariores sunt, quam ut explicentur.

2. Duratione spectata est recens et inveterata.

3. Celeberrimus Sauvages 1) dividit podagram temporis quoque ratione in hyemalem et aestivam. Hyemalis est ipsi illa, quae toto recurrit anno, trimestri duntaxat aestatis dempto, quae

1) Nosoli Method. T. II. p. 21 — 22.

vero aestate suas exercet vexas, et hyeme ferias agit, aestiva nuncupatur.

4. Aretaeus Cappadox 1), divisit in calidam et frigidam, calore, tumore atque rubore differentiam ponentibus.

5. Dividi porro consuevit ea in genuam, et spuriam puta scorbuticam, syphiliticam scrophulosam etc., quas podagrae nomine minus juste dignas agnoso. Datur.

6. Podalgia simplex, nullo alieno stipata morbo, et complicata, quae ali juncta malo, aliena quoque praesentat symptomata.

Frequentissime complicata occurit cum febre biliosa, cum febre pituitosa, habitus quippe podagricorum passim laxus est; verno tempore, quo crebro recurrere solet, facile adsociatur feбри intermittenti 2). Nectitur porro doloribus osteocopis nocturno adflictu se se manifestantibus. Jungere demum sibi amat hysterismum et melancholiam 3). Sed maximi momenti divisio podagrae est.

7. In regularem et anormalem Illa callem sibi proprium premit, cruciatu in pedibus eminente; haec vero a consueto aberrans tramite alterius sub mali schemate tecta suam ludit scenam. Cullenio haec sub dividitur in atonicam s. imperfectam, retrogradam s. retropressam, et aberrantem s. translataam.

1) De causis et signis morborum diuturnorum L. II. c. 12. p. 67.

2) Grant Beobacht. über die chronischen Krankh. S. 288.

3) Musgrave de Arthritid. symptom. c. 5. p. 24.

Primam absolvunt, ait is, symptomata systematis nervosi affecti, et effectus dyspepsiae citra pedum aegritudinem; sed descriptionis datae intuitu rectissime haec podromos constituit mali. Alterius notio habetur, ubi aegritudo articulationem pollicis pedis obsidens subito evanescere, atque visceri cuiquam interno infesta esse advertitur. Aberrans erit, si dolor pedibus hactenus inseri solitus, carpos, cubitos, genua, aliave occupet organa interna, praesente diathesi podagrica. Prudenter autem clarissimus Auctor dubitat, num non et in hac varietate podalgiae articulatione pollicis pedum antea leviuscule affecta fuerit 1); quocirca rectius aberrantem dixero illam podagram, cujus summus adjutor dolor, pedum deserens articulationem, externis infensus evadit partibus. Neque retrogradae desunt varietates pro viscerum, quae adoritur diversitate, serius expendendae.

N o s o g e n i a.

a. Causae proëgumenaе.

Ex tetra mali imagine depicta abunde elucet, quam misera generis humani foret sors, si indole quivis suapte in illud esset proclivis. Ast provida mater naturâ hic quoque existit tutrix,

1) Anfangsgründe der pract. Arzneykunst 1. B. von der Gicht oder dem Podagra S. 531 — 534.

quinimo, ut et illos, qui infelici parentum sati sunt semine, circumspectos reddat, habitu eos donavit peculiari, quem Sydenhamus 1) hisce adumbrat: Qui huic morbo obnoxii sunt, crania habent grandiuscula, corpusque universum plenum, laxum, luxurians, tametsi nec graciles nec macilentum ejus extra jactum semper cadant. Quum vero alii prae aliis clade ejus puniri observentur: sequentia pauca ceu disponentia adducenda veniunt momenta.

1. **Temperamentum.** Cholericum-sanguinei creberrime, sanguinei rarissime podagra plectuntur 2).

2. **Aetas.** Pueros veneris ante usum mali hujusce haud experiri vexas, Medicorum Parens testis est 3). Nihilominus Angliae lumen 4) notos sibi quosdam esse asserit, necdum puberes, leviculam qui senserunt velitationem; hosce vero, ait, illorum fuisse parentum liberos, qui cum iis generandis operam darent, podalgico tenebantur malo. Aretaeus vero 5) asseverat aetatem huic subjectam morbo, esse a quinque super triginta annis, illique senes, qui, ubi meliores vitae dies delicatius transegerunt, immoderate vivendi indulgentes rationi, ob torporem ingravescentis aetatis comitem ea corporis exercitia omisere, quibus juvenes adsvevere.

1) Op. cit. p. 302.

2) Cullen ang. Werk S. 521.

3) Aphor. III. 31.

4) Sydenh. Op. citat. p. 303.

5) Op. et loc. cit.

3. *Sexus*, Viros frequentissime, foeminas non nisi, cum menstrua defecerint, torqueri podagra, ex Hippocrate liquet 1), qui exempli instar adducit Phaetusa abderitam Pythii conjugem, cui, quamdiu vir ei conviveret, foecunda erat et sana, eo vero exulante menostasia orta, serius dolores et rubores ad articulos pedis. Sydenhamus 2) solas vetulas et virgines podagrae poenas timendas habere censet. Verum enimvero si malum familiae haereditarium est, nequaquam respicit sexum, cumque mulieres, virorum nunc licentiam aequarent, inquit Romanus Philosophus 3), corporum quoque vitia aequaverunt. Non minus pervigilant, non minus potant, et oleo et mero viros provocant, aequè invitis ingesta visceribus per os reddunt, et vinum omne vomitu rejiciunt, aequè nivem rodunt, solatium stomachi aestuantis, libidine vero nec maribus cedunt, pati natae! Beneficium sexus sui vitiis perdidierunt, et quia foeminam exuerunt, damnatae sunt vitiis virilibus. — Eunuchi podagra solum Hippocratis tempore non potuerant infestari, quum sobrium vivendi modum Persarum haud exiguam Graeciae partem sibi subditam habentium legibus imperatam observare cogebantur; postea vero quam talis eorum esset desidia, tanta ingluvies et crapula, ut absque veneris etiam usu ea affligi possint, non secus ac ceteri podalgici fiunt 4).

B 2

1) Aph. VI. 29. — Idem Epid. L. VI. Sect. 3.

2) Op. cit. p. 307.

3) L. Ann. Senec. Epist. 95.

4) Galen. Comment. ad Aph. 28.

4. *Vitae genus.* Opulenti prae pauperibus in podalgiae incidunt tyrannidem, apud eos namque illa domum, apud eos patriam se deprehendere gloriatur, qui desidia, dapum varietate, vinoque marcescunt 1). Sapientes denique invisit frequentius quam fatuos 2). O! quam partibus non studet natura! munificentiam erga alios profusorem aequa malorum parte admixta contemperans ita, ut nullus sit ex omni parte beatus, nullus per omnia miser.

5. *Mala quaedam exantlata:* affectiones videlicet rheumaticae, arthritides frequentes, scorbutus hysteriasis, melancholia, febres exanthematicae, biliosae, intermittentes, aliaque hisce similia 3).

6. *Constitutio haereditaria.* Podalgiam a parentibus ad nepotes propagari omnes una mente Medici agnoscunt, diserteque effatur Sydenhamus 4), quandoque podagra corripit etiam aetate florentes, quoties nempe infelicibus morbi semen parentes impertiuntur. Observatum vero est hoc respectu parentibus podagricis, qui renali simul affligerentur calculo, proles natas fuisse, quarum aliquae hujus, alterius aliae participes evadebant mali; foemellae ut plurimum lithiasin ab iisdem trahunt 5).

1) Jovian Pontan L. V. de Sermone C. 1.

2) Sydenh. Op. et. loco cit.

3) Sydenh. pag. seq.

Kurt. Sprengel ang. Werk S. 232.

4) Idem pag. 302.

5) Cullen ang. Werk. S. 530.

7. Partiale demum disponens momentum residet in pedibus multum suapte natura sudantibus, et refrigerio identidem expositis. Hanc ob causam dolendum piscatoribus pedes aquae immergere coactis, et venatoribus luto genuum saepe tenuis inhaerentibus; fit namque inde, ut ligamenta tendinesque pedum rigescant, fomitenteque praebeant malo podagrigo succedendo 1).

b. Causae procatarticae.

Primum procatarticarum causarum locum intemperantia in esu sibi vindicat, 2) testaturque experientia morbum hunc, ubi frugalis vita vitium superavit victu ab opiparo natum, confestim fuisse sublatum. Legitur in Swietenio 3) vir veteranus podalgies a piratis captus biennio barbarorum in navibus remigasse, ac ubi libertati esset restitutus, et obesitate privatus, et podagra liberatus fuit.

2. Largior pinguium usus, unde languor ventriculi, dyspepsia, et cruditates, queis desidia familiaris in podagram pronis obsecundat 4).

3. Usus vini, potulentorumque spirituosorum in seram noctem a Bacchi nepotulis protractus; deme usum cerevisiae 5). Vinorum vero magis noxia depraedicantur alba aci-

1) Van Swiet Op. cit. p. 297 — 298.

2) Galen. de curand Rat. pec. V. s. c. 7.

3) Van Swiet. op cit. p. 293.

4) Idem p. 293.

5) Idem p. 295.

dula, antiquis ὀλιγόφορα, (minimam aquae mixtionem sustinentia) his namque valdoperè deprimi vires, post Galenum 1), Helmontius 2), et Frid. Hoffmannus 3) testatur. Sed vini noxa hoc intuitu, dimetienda quoque venit e soli qualitate: quae proinde vina arenosum fert solum, minus nocent; minime illa, quae in limosa argillacea, atque margae immixta proveniunt terra, siquidem isthaec pauxilla tartarea materia impraegnata esse dicuntur 4).

4. Venus praematura vel nimis culta 5), cujus lenociniis digestrices debilitari facultates, podalgiamque fieri pedissequam exempla docent illorum, qui, utut sanis geniti parentibus fuerint, sobrieque vixerint, nimis tamen aetate pubere Veneri indulgentes, saeva pedum captura discruciatum sunt 6). Confirmatur hujusce asserti veritas observatione quoque illa, quod Veneris cultores, sint simul passim Bacchi adoratores.

5. Aër frigidus et humidus aestuantis allambens corporis superficiem; istiusmodi namque aëris vicissitudine vasorum exhalantium fors et inhalantium constringendo fines, cutis externae functio haud

1) Meth. medendi L. VII. c. 6.

2) In capitulo volupe vident morbus antiq. putatus p. 3. 4—315.

3) Med. Rat. Syst. T. IV. P. II. p. 506.

4) Sennert de Arthritid. Edit. Ven. p. 865.

5) Van Swiet op. cit p. 296.

6) Sydenh. Op. cit. pag. 323.

mediocriter laeditur, inhibita proin cutis transpiratione, quaequae maximam cum illa colunt sympathiam membranae, ejus fungi munere contendunt; atque universae ex cutis superficie materiae impares suscipiendae, congestionum sibi consciscunt onus, inde tubi alimentaris atonia, anorexia, dyspepsia, cruditas et alia plura. Hoc in rerum articulo gliscens in pedibus podagrae favilla in visibile erumpit incendium. Cum igitur vere et autumno maximae observentur aëris vicissitudines, cumque hisce anni tempestatibus plerique vestium in usu committantur errores: satis superque constat, cur podagra tunc plurimas faciat obsidiones.

6. Nimia a vehementi corporis motu defatigatio, qua tum pedes nimis debilitantur, proclivioresque efficiuntur in morbum, tum universum relaxatur corpus, digestionisque languescit munus 1).

7. Consvetarum evacuationum suppressio, antiqua in tibiis ulcera inepte consolidata, haemorrhoidalis fluxus praepeditus, vetustae anifistulae temere sanatae etc. 2).

8. Furentes animi adfectus: moeror sollicitudo, metus, cum primis vero ira, in quam usque adeo inclinant podagratici, ut Sydenhamus 3) dixerit, omnem insultum non rectius podagrae quam iracundiae paroxysmum; exagitat enim san-

1) Sydenh. op. cit. pag. 323.

2) Hippocrates Aph. VI. 29.

3) Sydenh. loco cit.

guinem aequae ac bilem, atque sic in visceribus abdominis oriuntur turbae, laeditur digestio et progeneratur cacochymia 1). — Verum adfectibus, ob subitas, quas in corpore procreant mutationes, sanatae quandoque fuisse podagram Authores referunt; ita in Hildano 2), legitur podagricus quidam, ob maledicentiam pluribus invisus, hunc homo spectrum larva simulans lecto ereptum dorso imponit, perque gradus descendens dolentes aegri pedes gradibus allidit, ejulatibusque ejus non motus in aream ipsum deponit. Ille iratus, etsi antea pedibus nequaquam insistere valebat, surgit nunc, fugit, gradus ascendit, et conclave intrat: convaluit ab hoc momento. — Sed hic casus rarioribus adnumerandus est.

9. Magna mentis intensio, assiduumque studium 3). Protractis quippe meditationibus mobilia expelluntur, reliqua inertiam induunt et figuntur, atque ingestorum digestio offendiatur, idque eo magis, quod studiis impallescens vix corporis delectentur motu.

10. Contagium. Podalgiae contagiosae nosogenia quidem explicatu ardua est, siquidem miasmata contagiosa per mucosas plerumque in corpus suscipi videntur membranas, atque experientia didicimus ea respiratori dicatis infensa

1) P. Aegineta L. III. c. 78. p. 57.

2) Opera omnia p. 993.

3) Van Swiet. op. cit. p. 292.

esse organis, quae vero in podagricis intacta reperiuntur. Non desunt tamen exempla, quibus podagram contagio propagatum fuisse adstruitur. Ita narrat Swiëtenius 1) duos homines illibatae sanitatis, quorum unus ocreas dono acceperat podagra laborantis, alter similes simili malo infectas emerat in foro, ambo illis indutis crudeli morbi clade puniti sunt; observatum item est, uxores illibata gaudentes sanitate, maritis suis podagricis diu noctuque servitio dum adsisterent, ad podalgiae serius damnatas fuisse cruciatus experiendos. Quum vero ex adverso haud pauca suppetant, quibus hocce refellitur contagium exempla, suspicionem saltem ejus nequicquam abnegavero.

c. Causa proxima.

Medentes omnis aevi, haud ignorantis securissimam in morbis proterendis manufactricem esse justam causae proximae cognitionem, ad eam ceterorum morborum aequae ac podagrae seria incubuere indagine, Liceat, quid celebratiores extuderint, videre.

Aetius graecus 2) suis cum asselcis observans, inopinato podagram ingruere articulorum pollicis pedis dolore ac sequente tumore, insultumque ejus provocari cum primis nimio corporis motu, familiaribusque excretionibus suppressis;

1) Idem p. 299.

2) Serm. XII. c. 6. p. 308.

articulos debilitate capi, inque eos morbosam fluere materiem ratus, hanc juncturarum fluxioni junctam debilitatem proclamavit proximam podagrae causam. Verum enimvero rectius fecerint illi, qui debilitatem isthanc ceu disponens considerarint momentum; fluxus vero ille, tametsi admittatur, quaeri tamen jure potest, quid cujusve illud, quod debilitatam in partem fluit, indolis esset.

¶ *A r e t a e o* causa proxima fuit vitiata nervorum minimorum indoles, liquidique nervei degeneratio 1) binisque praecipuis evincere id enitur momentis, primo, quod complures nervorum morbi, uti epilepsia, vertigo, tremores etc., podagrae profligati sint vi, secundo, quod pathematibus animi, *a c t i o n e m*, quorum nervi omnino experiuntur, non semel podalgia sanata sit, opinio haec neutiquam est plene contemnenda: Nervosum namque systema reapse pati, dolor, spasmi aliaque symptomata testes sunt; quum vero qui illud patiatur ignotum sit; causam quoque proximam in eo solo perperam quaeri censeo.

G a l e n u s 2) materiam pituitosam nunc solum, biliosae nunc mistam tuetur; sed aequae ac priores suffragatur.

Non deerant, qui acrimoniam podagricam assumere membranaceas synoviae vicinas adfligentem partes. 3) tum quod, insultu instante acribus irritari oculos lachrymis, tum quod, eos podal-

1) De caus. et sign. morb. duit. L. II. c. 12. p. 65.

2) L. X. de comq. medie. Sect. loc. cap. 2.

3) Etmüller Op. omn. T. II. p. 674.

gia torqueri maxime observetur, victu qui utuntur acri. Graviores tamen sunt, quibus sententia haec premitur difficultatibus; acrimonia utpote istiusmodi nullis huc dum se manifestavit signis, item ab acrimonia tali supposita nullum fere podagrae phoenomanon sortitur explicatum: dicant strenui ejus defensores, qui fiat, ut sola pedum pollicis junctura afficiatur, qui accidat, ut malum repente ex una ad aliam transiliat partem? quo materia similis acris secernatur modo? qui absorbeatur? absorptaque mali existat origo? ecurr denique podagrica haec materia plurimum annorum spatio occulta sileat, quin se prodatur, donec certa in nepotibus aetate saevire incipiat 1)? — Ignorantia!

Alii acrimoniam visciditatis humorum conruptam agnovere, ex impedita per vasorum laxitatem sanguinis defoecatione natam 2). Veri quidpiam hac in opinione latere videtur: lympham videlicet laeso ex cutis vitio lymphatico systemate fit crassior. Necdum tamen eapropter haec theoria ita genuina est, ut requisita inde medendi exurgat methodus.

Maximil. Stoll 3) credidit abundantem evolvi in sanguine bilem, solidasque ea infestari partes. Verum quidem est podagrae homines effervescentes esse obnoxios, verum item, ut superius memini, ira, cujus potissimum in hepar exer-

1) Cullen angef. Werk S. 539 — 545.

2) Van Swiet. Comment in Apho Herm. Boerh. T. IV. §. 1262.

3) Aphorism.

itur energia, haud infrequenter malum accerseri; nihilosecius pacati animi quoque individua, quaeve bile non abundant, saepenumero luunt, et antibiliosa deridentur a podagra ceu levissima armatura 1).

Recentissimi demum eam ab Electricitate repetunt; quae opinio aequae aegre impugnari, ac defendi potest.

Si ab omni lubrica abstrahendo hypothesi, sensitiva unice perpendamus, patebit causam podagrae proximam verisimillimam esse affectionem totius systematis reproductivi; systematis utpote lymphatici, cum primis vero primarum viarum, neque nervis ab omni absolutis labe. Enumeratarum quippe causarum triplex est agendi modus: aliae externam totius corporis superficiem immediate tangunt; aliae tubum alimentarem primario lacessunt modo; ultimae demum uti sunt affectus animi, meditationes, Venerisque cultus, systema nervosum, quod commercii quoque cum lymphatica provincia culti gratia patitur, turbant. Philadelphia vero cutem externam inter et tractum alimentarem effici certum est, ut effectus mutuo utrinque reverberio communicentur. Sed et symptomata podagrae pro reproductivi nerveique systematis affectione loqui ex larga superius data descriptione, quemadmodum spero, facile intelligitur. Robur denique asserto addit egregiorum observatorum suo quivis modo se se super re declaranti-

1) Val. nob. ab Hild. Praelect. in Therap. Sp.

um auctoritas. Ita Angliae sydus 1) seu praepropero aut immodico Veneris usu, seu repentina exercitiorum olim consvetorum intermissione, seu profundis meditationibus, ceu insanis voluptatibus et pergraecationibus, seu refrigerio incaute corpori admissio, corpus flaccescit, nervorum actione a digerendi munere, quo symbolam contribuit suam, revocata, ventriculoque, ob sympathiam cum externa cute quam colit, laeso, deperditoque sanguinis per partium tono destitutarum inertiam vigore, labefactantur viscera digestionis dicata, humoresque pravam sensim induentes diathesim in articulis dolorem excitant. Eadem propemodum ratione disserit etiam M. Boerhave 2) et P. Aegineta 3) qui dicit si ἡ Σρεπτικὴ δύναμις ἀτονίσῃ ob cruditates, (vis nutritrix autem etiam in cute est), humor abundans in quacumque articulatione, quae debilior antea fuerat, se conferet, et distendens colligantes nervos, dolorem faciet. Ultimo systemata memorata, ubi evitatis evitandis rite fuerint constituta, abigitur malum. Cum magna itaque verosimilitudine dicere licet, podagram esse morbum systematis reproductivi et nervosi. Quae vero ibidem contingant mutationes, adhuc in Democriti puteo latent.

1) Sydenh. op. omnia p. 308 — 309.

2) Insti. Med. §. 757.

3) L. III, c. 78. p. 57.

Terminationes.

Luculenter e data descriptione eluxit, podalgiam infestare insultibus vario recurrentibus tempore; datur proin intervallum, quo adflicti ejus a vexis, aut saltem harum a vehementia liberi vivunt; ast vel idcirco sanitate eos perfecta gaudere haud dixeris, imo quo crebriores malum tentat adgressiones, eo tristiores eorum defleto sortem. Illi, iique pauci, quos Tyranni jugum tanti excussisse audis legisve, salutem non tam pharmacis, diaetaeque vix ac ne vix quidem observandae, quam felici corporum suorum conditioni, adjunctorumque quorundam faventium adminiculo adscribito. Rara ergo sanitas perfecta.

Tametsi porro totis cruciari pergat morbus crudelis viribus; rarissime tamen fatigio deprimatur adeo, ut languens saevire desinat, aliisque vitam miserorum committat torquendam malis; foedus tamen cum iis, ut quocycus morti pareat praedam, lubenter pangit. Istiusmodi confederata mala sunt hydrops, cui valdopere laesum systema lymphaticum praebet ansam. Atrophia glandularis percrassam verosimiliter lympham accersita, hypochondria et melancholia ob viscera abdominis praeprimis chylopoiëtica aegerrime pressa, et imaginationem mali diuturnitate perversam: Posita nervorum adfectione Spasmi quoque et convulsiones haud sunt infrequentes in sexu praesertim sequiore. Dolor dirus et corporis oti-

um, juncturarum post se trahit rigiditatem deformatque contracturis et incurvationibus. Urina crassa uretheres obturans, dysuriam consciscit stranguriam et lithiasin. Sua vero sede relicta nunc caput, nunc oculos, nunc pectus, nunc abdomen, nunc alias oppugnat regiones, inde cephalaea, ophthalmia, asthma vel pleuroperipneumonia, cardialgia, colica vel dysenteria, urethritis etc. Unde.

Mors vix unquam directe per podagram inducitur, nisi vehementia insultus humanam exsuperante patientiam; sed mediantibus dictis malis nobili infensis visceri potissimum occumbunt miseri.

P r o g n o s i s.

Ut vero quis mali praesagire valeat eventum, aegri imprimis respiciat statum necesse est, aetatem morbi, complicationem, decursum, alia. Itaque

Subjectum juvenile, si ei circa articulos calli necdum induruere, victus cordi fuerit ratio, sique ad laborem extiterit impiger, et alvum habuerit vitae instituto probe cedentem, sanum evadet, dummodo a prudente tractatum fuerit Medico 1).

Senes ex adverso, tophos aut callos in articulis habentes induratos, aut laboriose vitam tollerantes cum alvo sicca, humana arte sa-

1] Hipp. Praedict. II. 54.

nasi nequeunt; sed dysenteriae succedentes, et quaecunque aliae colliquationes infernae optime illis medentur 1).

Si malum est vetustum, frequentibus vexans insultibus, quoniam hoc pacto aegri tum doloribus tum vigiliis nimio opere debilitantur, salutis spes nulla.

Si podagra suas consveta servare periodos non revertatur; malum omen: metus quippe est metaschematismi.

Si podagrae ad ferociam suas perniciose febris, aut potentia quaedam debilitans adferat suppetias; aeger capite periclitatur.

Si vehementi juncturarum pollicis pedis dolori jungatur delirium, cordis palpitatio, anhelitusque difficultas, et gelidus totam obducat corporis superficiem sudor, ac pulsus sit parvus: eadem aut sequenti die podagrigo cantabit bubo.

T h e r a p i a.

Expendetur isthic primo loco cura podagrae regularis vitalis; altero ostendetur quomodo symptomatibus periculosis succurrendum sit, ultimo de podalgia anomala pauca dicentur.

a. Cura vitalis podagrae regularis.

Si ad procatarticas, quae alius allatae fuerint, causas mentem reflectamus; si causam pro-

1) Idem ibid. 53.

ximam, quam magna cum verisimilitudine in systematis reproductivi nervosique labe latere diximus, contemlemur, si haud levem functionis demum ductus alimentaris laesionem respiciamus; tum indicationes indirectae quidem, sed rationales enascuntur binae hae: 1. Inertiam, qua corporis partes premuntur, impugnare, quo spissa, quae stagnat, attenuetur lymphæ, stasibusque ita reseratis, vivacior humorum circulus reddatur, nervique alia directione donentur. Probe autem respiciatur febris, quam podagricus suscitât accessus, irritativa. 2. visceribus digestionî inservientibus novum addere virgorem, ut indigestio vincatur. Haec praecipua fuit Sydenhamo 1) indicatio.

Quo ad primum planum, febre praesente, solventibus stimuli expertibus erit agendum, Gramine utpote, Taraxaco, Cichoreo, Saponaria, saponibus medicatis, pedetentim ad amaricantia tono armata ascendendo. Febre vero fracta, res secum fert, ut resolventia aegris propinentur, quae simul irritant: praesto hunc in finem sunt caules Dulcamarae, Cicuta, Gumi Amoniacum, hisque plura similia. Neque desunt, quorum proficuum virtutem empyria manifestavit, remedia: principalia depraedicantur stibiata: antimonium crudum, sulphur auratum, aethiops antimoniales, decoctum Polinii 2); horum omnium diaphoretica vi, ac subemetica inertes concutiuntur fi-

1) Op. med. p. 313.

2) P. Frank Epit. de cur. hom. morb. L. VII. p. 412

brae, humorumque discrasia corrigitur. Proxime his accedit Guajacum, atque non decoctum ejus tantum, sed et Tinctura cum taphiae spiritu parata carniū juri juncta sumenda, Gummi-resina nativa, lignorumque species. Magnam denique sibi promeruit laudem Aconitum, ejus cum primis extractum superius memoratis parva initio dosi jungendum 1). Usus vero omnium, ut salutifer existat, diuturnus sit oportet.

Alteram, citra quam primae nequiquam satisfieri potest, indicationem explent quaequae alimentarem confortant tubum, ut ingesta agant vivacius; cumque functio isthaec multum humorum corporis, praecipue vero bilis adfusione adjuvetur, eapropter illa prae reliquis huc faciunt remedia, gratum quae possident aromaticum stimulum et amarorem, sed febre absente proprinanda; talia sunt Trifol. fibrinum, Centaurium minus, Absynthium, Gentiana, Calamus aromaticus, Chamomilla, Carum carvi, etc. His immisceri vult Sydenhamus 2) Cochleariam Nasturtium, Beccabungam, aliaque antiscorbutica, quo vegetior reddatur sanguis, Monet vero Anglus 3), pharmaca haec maxime hyemis tempore conducere, quatenus certum caloris gradum conciliant, utique enim podagrīci, hoc potissimum tempore languent, svadet tamen usum eorum neque aestivis mensibus esse negligendum, ut, quae adversa adportantur tempe-

1) Idem ibidem.

2) Op. cit. p. 314.

3) Idem p. 314—318.

tate, praecaveantur mala. Monet porro, remedia dicta longissime ab insecuturo morbi insultu esse sumenda, ne calore adaucto violentam tentet podagra accessionem, qua non paucos manibus fuisse datos post Galenum 1) Caelius Aurelianus 2) et P. Aegineta 3) referunt. Monet denique oportuno eorum usui diu constanterque esse insistendum, siquidem in habitum abiit morbus, novamque induit naturam, qui, ut tollatur, homo nova quasi incude refingendus est.

Sed et regimen diaeteticum, quanti universe sit momenti, in morbis averruncandis, patet vel ex eo, quod quae illud complectitur, talia sint, quae natura destinavit, ut organismum nostrum mutando et vicissim ab illo mutata, talem vitalibus concilient viribus conditionem, quae ad sanitatem requiruntur integram. Initium capiam a cibo et potu:

Horum imprimis quantitatis respectus non levis habendus est; excessu quippe digestionis onerantur organa; abstinentia defraudantur partes ea proportione, qua ipsarum vigor sustinendus erat. Intuitu qualitatis εὐπεπτα praeferenda; ast palato quoque aegri consulendum est, observatur enim, id, quod appetitur, etiamsi aliquantulum fuerit δύσπεπτον, citius a natura vinci, quam id,

1) Meth. meden. L. XIV. c. 15.

2) Morb. chron. L. V. c. 2. p. 563.

3) L. III. c. 78. p. 58.

quod digestu facilius est, si nauseam creat. Deinde acria, sale, pipere, aromatisque aliis condita, quia exaestuant, irritant gulam, sopitamque excitant famem, nocent 1); dissimilia porro invicem mista, quum horum citius alia, alia tardius digerantur 2), aequae damnanda sunt. Optime conducunt vegetabilia mixta animalibus. Sed hoc vivendi genus, quum podagricorum plerique laute vivere consueverunt, longo tempore nec volunt, nec possunt illi tolerare, neque periculo subita istiusmodi in duram vivendi rationem mutatio careret; quocirca quantitas cibi animalis sensim imminuatur, donec vegetabilia maximam nutrimenti constituent partem.

Magnam sibi in podagrae cura nacta est famam galactoposia diu continuata 3), sed observationes docuere, malum, ubi aegri ad alia nutrimenta coeteroquin proficua rediere, confestim revertisse crudelius ac antea saeviens 4); videtur nempe viscerum chylopoieticorum vigor lactis usu enervari ita, ut solidiora postea alimenta nequeant digeri 5). Potutenta laudat Sydenhamus illa, quae nec ad vini ascendunt generositatem, nec ad aquae damnata sunt debilitatem: tale est cerevisia, qua et calculus, in quem podagrici proclives sunt, praepeditur, renibus ab

1) Sydenh. op. med. p. 318.

2) Hipocr. L. de flatib. c. 3.

3) Grant Beobacht. über die chron. Krankh. S. 111.

4) Sydenh. l. c.

5) Van Swiet op. cit. p. 371.

ea prolutis 1). Vini usus, quum nimis calefaciat, noxius est, ei tamen asvetis et debilibus haustus ejus liceat sub pastu; potus refrigerantes itidem nocent, naturalem exstinguendo calorem, et digestionem reddendo languidam. In malo inverte rato sequentem *S y d e n h a m u s* commendat potum 2) Rp. Rad. Sassaparil. unc. sex, Ligni Sassafras, Chinae nodosae, Rasur. C. C. aa. unc. duas. Rad Liquiritae unc. unam, coqu. in aqu. fontis. con. duob. per $1\frac{1}{2}$ hor. stent clausa super cineres per 12 hor.; ebulliant ad tertiae partis consumptionem. Tum removeatur ab igne et infunde semin. Anis. unc. sem., post duas horas coletur, per subsidentiam depuretur, et liquor reponatur in lagenis probe clausis asservandus. Usus trahatur post insultum. Hoc potulenti genus pensat aquositatem, et debitum visceribus conciliat caloris gradum.

Victui salubritate par corporis motus, qui assimilantes vires ad majorem concitat energiam, secretiones et excretiones mire promovet, ne terrestri articulis insideat materia, praecavet, somnumque, leviter delassando, placidiorem reddit. Istiusmodi vero corporis exercitia assidua quidem sunt, sed videndum simul, quantum aetas ferat, quantumque vires. Commendatur prae reliquis (ni calculus obstiterit) equitatio in aëre libero, puro, temperaturae aequabilis, et rurali insti-

1) Op. cit. p. 319.

2) Ibid. p. 321.

tuta, quae eidem aevetos parum delassat, pulmonumque in sanguinem auget actionem: neque vectio in rheda, neque alius generis passivi motus minoris sunt momenti 1).

Facilius autem corporis exercitia sustinebuntur somno, vires qui refocillat, assimilationemque, quum major sit eo tempore cordis, vasorumque majorum actio, reddit perfectiorem. Ideo consulit Sydenhamus podagricis, ut loco coenae haustum tenuioris cerevisiae liberaliorem sumant, illico lectum petant, et diluculo surgant 2). Literati vesperi mentis acie nil tractent, frequens enim podagrae comes est melancholia.

Causarum podagram excitantium ad agmen spectare animi affectus dictum est; quantum igitur licet, mentis tranquillitas stabilienda est.

Veneris denique, ut aliis supersedeam, lenociniis podagricus aequae se improvide dedit, ac ille, qui longum emetiendum habens iter, viaticum prius abliguriret, quam se viae committeret,

b. Cura symptomata.

Sufficiat pro instituti ratione paucorum summi momenti symptomatum isthic meminisse. Primum est peculiaris ventriculi languor in iis frequens, quos diu malum affligit, quique usum spirituosorum repente cum potu mutarunt lenio.

1) Ibid. p. 324.

2) Op. cit. p. 322.

re. Medebere affectioni huic alimentis digestibilibus, nutrientibus, moderato carnis vinique canariensis aut alterius generosi usu, et medicamentis cardiacis amarificantibus, cortice peruviano, limatura martis etc., videndo simul, ut alvus aperta sit 1). Si vomitus una torquet, vinum propinato aegro tepidum aqua mistum, et serius parcam laudani quantitatem 2).

Interdum diarrhoea in podagricis observatur: haec equidem, si aeger senescens est, si diu podalgiae sustinet poenas, alvusque ei antea tarda fuerat, ceu salutaris sustinenda est; seculus vero agendum erit, ut diapnoicis cutis functio laesa emendetur 3).

Duo autem summe periculosa sunt symptomata: **Tophi** et **Dolor**. Tritum quidam assertum est, podagram nodosam haud curari, observavit nihilominus Sydenhamus 4), diuturno et quotidiano corporis exercitio, veteres plane tophos fuisse solutos, nisi cutim in suam mutarint substantiam. Illi vero, qui experimentis, desumptam podagricorum ex tophis calcem in acidis solvi, defendunt, acidorum, quae, ne cutem laedant, temperaverunt, externum fecere usum; oleo nimirum Therebinthinae spiritu salis acido inpraegnato tophi inuncti et fauste sub-

1) Cullen angef. Werk S. 590 — 594.

2) Ebendas. S. 596.

3) Idem p. 597.

4) Op. cit. p. 324.

lati sunt 1). Galenus 2) caseum bubulum diu asservatum cruris suilli saliti maceravit, quo tophis adplicito cutis rumpebatur, et quotidie proliciebantur particulae terreae. Aetius 3) praeter erosivum ex lixivio et spuma nitri paratum commendat insuper aequales calcis vivae et nitri puri partes, axungia communi exceptas tophis quotidie applicandas. Nimis prolixus forem, si plura alia recenserem.

Urgentissimum autem symptoma est dolor. Ita podagra in Luciano 4): Verum dolor mihi malorum adiutor est, nihil ego namque sum, si ab hoc relicta sim. Sydenhamus interim propriis edoctus aerumnis, dolorem dicit esse acerbum naturae pharmacon in debellando malo, promittitque, aegros eo diutius a malo liberos fore, quo dirior fuerit dolor 5). Sed cum adeo constantis animi nequitquam semper sint aegri, ut humanam superantes patientiam cruciatus pacata ferant mente, ad quaevis parati sunt tentanda. Binis autem tantae acerbitati succurritur modis: aut sufferendo causam, aut leniendo saltem effectum.

Prior methodus est summe salutatis, haud tamen facile exsequenda 6). Particulae ex pane

1) Van Swiet. op. cit. p. 379.

2) De simpl. medic. facult. L. X. c. 9.

3) Serm. XII. c. 27. p. 320.

4) Tragopodagra T. III. p. 664.

5) Op. et l. c.

6) V. Swiet p. 382.

cum pauco croco in lacte coctis addito pauxillo rosarum oleo Sydenhamo profuit, sed non semper 1). Hippocrates 1) quodsi, ait, in uno aliquo loco firmiter constiterit dolor, neque medicamentis expellatur, — — eum lino crudo inurito. Ast neque hoc tam heroicum remedium morbum, cum illum non adgrediatur in toto, tollit, et quis uret magno tum symptomatum agmine stipatum aegrum? — Nihil itaque superest, nisi ut leniatur dolor, sensorium commune et nervos narcoticis sopiendo; sed huic remediorum generi non multum esse fidendum Sydenhamus monet 3), rectiusque sibi consulat aeger, si se in lecto aliquantisper continuërit, sumptis vesperi aliquod laudani liquidi guttis. Prisci 4) etiam externum stupefacientium usum cautum esse volunt, statimque atque doloris desierit fervor, auferre illa jubent. Medicorum Coryphaeus 5) frigidam captae dolore parti adfusam laudat, stuporem enim inquit, inducit, moderatus autem stupor dolorem solvit; pedibus porro frigida ablutis in lectum si ponatur aeger, multum incalescit, largusque sequitur sudor salutaris. Ast et aquae incauto usu malum evasisse pejus observatum est 6).

1) Op. cit. p. 329.

2) De Affect. Sect. V. c. 8.

3) Op. et l. c.

4) Trallian L. XI. c. 1. p. 609.

5) Sect. V. Aph. 25.

6) V. Swiet p. 357.

Alii remediis ignea pollutibus vi, et inflammantibus derivandi gratia utuntur, sic Trallianus 1) describit ceratum, in quo praeter alia continetur Euphorbium; ipsum Euphorbium cum oleo et cera, sinapismus, vesicantia, aliaque rubefacientia adhibita fuere; ipsa plane fragrantia aromatum olea effectum praestant salubrem, si saponaceo quoddam, ne nimia obsit acris eorum vis, permisceantur remedio 2). Laudantur insuper balnea; quorum optima sunt lixivae hepate scatentia, aut ex aqua calcis ac sulphure parata, ususque eorum fit sicca et calida tempestate, isque protractus. Si alti gradus inflammatione obsidetur pars adfecta, sanguisugarum, et emollientium cataplasmatum faciendus erit usus 3). Insignis porro utilitatis sunt frictiones ope linimenti volatilil, aliorumque aromatum et spirituum. Maximum vero frictiones siccae externum sistunt remedium ad pruritus usque instituendae laneis aromatico suffimigio imbutis pannis, quo pacto partes roborantur, et quidquid collectum stagnat, discutitur 4). Recentissimum denique Tinctura antarthritica dictum medicamen externo proprio adplicandum modo nuperrime a Cl. Pradier Galliae Medico commendatum notius orbi medico est, quam ut isthic describi oporteat. Neque efficax ejus virtus juste adhuc evicta est.

1) L. XI. c. 1. p. 623 625.

2) V. Swiet p. 385.

3) Val. nob. ab Hildenbrand Prael in Ther. special.

4) Aet. Sermo XII. c. 21. p. 314.

De Podagra anomala.

Salutare est podagricis tempus, quo cruciatuum vivunt expertes, sique illud longum iis conceditur, gloriantur haud mediocriter: ast hic podagricorum status nequaquam semper periculo vacat: subito namque ubi artuum dolor vel evanuit, vel multum mitigatus est, alibi in corpore sinistri quidpiam persentiunt aegri, atque nunc retro pressa, aberrans nunc evadit podagra, cujus varietates, harumque therapiam organorum morbo obsessorum diversitas, morbique obsidentis indoles determinat. Speciali autem morborum retropressione (sit venia verbo) productorum curae semper derivantia adjungantur; exempli loco si peripneumonia exoritur, pertusa vena, propinatis leniter purgantibus, et demulcentibus, post brevem temporis intercapedinem larga femoribus adplicentur vesicantia, plantis pedum sinapismi, pedes infuso Rutae recentis vinoso addita ad vini adhibiti librā unam salis marini unc. dimidia, foveantur; sumanturque corpore bene tecto potus aromatici 1) ubi vero morbus exortus gravis inducias non ferens mortem minatur, quod saepissime tormina faciunt, tum aegro in lecto se continenti guttulae viginti Laudani liquidi, modo caput, aliaque vitalia non impetantur organa, propinentur; mox cutis calescet, fausto omine madescet, et malo levato

1) Van Swie. p. 388.

consuetum dolor occupabit locum 1). Quid autem hoc, quaeso, pacto boni? nihil aliud, quam malo uno abacto alterum accersitum est. Liquido itaque constat, podalgiam, non solum, uti opellae in limine memini, omni refractariam esse remedio, sed mansvete quoque eam esse tractandam, ne, quo demum cunque modo praesertim vero, quas aversatur, evacuationibus irritata alienos agat cuniculos. Manebit igitur illa omnium, qui circa articulos oriuntur, affectuum violentissimus, et permanentissimus morbus 2), therapiaque ejus recondita adhuc est in sinu naturae.

T a n t u m.

1) Sydenh. de miet. fangv. p. 706.

2) Hippocrates de affect. c. 8.

— 48 —

Theses defendendae.

1. Omnis febris in exordio est irritativa.
2. Morbi contagiosi ab epidemicis stricte tabilibus essentialiter differunt.
3. Non unica transpiratio est cutis functio.
4. Encephalitis a typho vulgari toto coelo differt.
5. Omnes sensus externi nil sunt, nisi species tactus.
6. Prosopalgia est morbus proprius.
7. Hydrothoracis pathognomica signa quandoque dubia.
8. Adstringentia et opiata in diarrhoeis mature propinata nocent. Imo
9. Neque omnis diarrhoea his cedit.
10. In podagra systema reproductivum et nervosum affectum est.
11. Pertinaci a potu abstinencia hydrops non sanatur.

12. Moenostasia nequaquam est proxima chloroseos causa.

13. Hepatis functio non sola bilis praeparatio.

14. Signa graviditatis primis mensibus certa non dantur.

15. Cura podagrae solam externam cutem respiciens, manca.

16. Frequens podagrae comes melaneholia.

17. Contra taeniam latam insons remedium certum nobis nullum notum

18. Glaudularum suprarenalium usus hodie dum ignotus.



1. Omnis febris in exordio est irritativa.
2. Morbi contagiosi ab epidemiciis aetiole
libus essentialiter differunt.
3. Non unica transmissio est causa febris.
4. Encephalitis a typho vulgari toto caelo
differit.
5. Omnes senes externi nil sunt, nisi spe-
cies tactus.
6. Protopalpia est propria.
7. Hydrothorax aeternus signa dum-
modum dubia.
8. Astringentia in diathesi in-
tate profutura nocent. Imo
9. Neque omnia diarrhoea hic cedat.
10. In podagra systema reproductivum et
nervosum afficitur.
11. Felices a bona abstinentia hydrops non
constat.

